

Itaque quoniam Sol, et calore, et colore suo prodit, sese ardentissimum esse, necesse est cum, vel anthracem esse, vel compactam, et densatam valde flammam, vel compactam, et densatam valde lucem, vel horum duo, vel omnia. Esto sane omnia, sed quomodo, aut qua ratione? Anthrax quidem est, non ligneus, non lapideus, non pumiceus, non vitreus, quales sunt apud nos anthraces. Sed anthrax æthereus, ex fluore primigenio, in æthere admodum compactis, et calore, et lumine primævis accensus, et in densissimam coactus lucem. Quæ eadem, et anthrax sit, et flamma, et flamma sit et lux, et anthrax. Et anthrax, et lux eadem et flamma. Ardere autem hunc anthracem, non similem nostratibus, sed æthereum, duo quæ apud nos fiunt, satis ex monitu illo Aristotele, contestantur. Anthraces nostri exiguam præbent flammam si habeant longe lateque diffundunt lumen, secundum, quod dum flamma est, tremere non desinit, unde et lumen, quod ab ea emicat, ad umbrarum confinia, tremit quoque. Ita si Sol anthrax tantum esset accensus, pro magnitudine sua, luceret longe minus quam nunc lucet, et radios non tam longe iacularetur, et lumine non impleret universum. Quæ opera flammarum, non anthracum, sunt propria. Tremere autem modo nostratis, Solis flammam, duo sunt manifestissimo argumento. Alterum quod radius eius, per foramen in domum ingressus, ab ingressu totus tremere videtur in ære. Alterum, ubi solum ferit, ad umbrarum confinia, etiam tremit. Et tertio si foramen, introitum det angustum, in solo radius totus tremit. Si det latiore, in medio non tremit, luminis copia eum tremorem interimente. Sol igitur, fluore æthereo densissimo compactus, anthrax lucis et flamma est factus, sicuti et astra, sed compactione, et maiore, et densiore, atque ideo ardentiore. Quid vero ita? Quia Conditoris sapientiæ et providentiæ ita visum. Ut id scilicet corpus, quod corporibus omnibus, lucere debuit, et calorem, et vitam, et bona, omnia præstare, muneri suo sufficeret. Nam in tenui materia, tenuis quoque flamma est, et tenue ex ea lumen emicat, et tenuis calor ita, ut in longinquum minime possint pertingere. In densiore vero e contra, et lux, et calor maior, et flamma vehementior, et lumen et calor inde promicantes longius porriguntur. Hac ergo finali causa, summus Solis opifex, qui nihil frustra facit, ex densissimo æthereo fluore, eum compilavit, ut non immerito Peripateticus Albertus; sed quo casu nescio (neque enim in Peripato hæc docentur) protulerit, Solem corporum omnium simplicium esse densissimum. Et si densitas id possit efficere, a reliquis stellis substantia longe esse diversum. Sed non ea ratione, quam ipse affert, scilicet quod solus Sol luceat, stellæ ab eo lumen accipiant et luceant. Omnes namque stellas ostendimus nos lucere per se, una excepta luna: atque esse flammam, et nunc addimus, etiam anthracem. Concludamus ergo hanc de Solis substantia, quæstionem. Solem sine dubio esse æthereum ignem, in fluore primigenio, a lumine et calore primigeniis accensum, omnium simplicium densissimum et vere $\pi\lambda\eta\mu\alpha$ coagmentationem flammæ plurimæ, ideoque lucidissimæ, et lucentissimæ, et ardentissimæ, et calentissimæ. Et de eo vere dici potest. Sol est carbo, flamma, lux. Et flamma, lux, carbo; et lux, carbo, flamma, omnium maxima, ratione triplici, mole, lucis vigore, et vigore caloris. Nullo enim alio in corpore, tanta lux conspicitur, nulloque calor efficacior, ut vere dixerit auctor libri Sap. cap. 16.

“Quod ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio Solis calefactum, rabescebat.” Uti iam diximus. De cuius luce, satis superque diximus in Panaugia. Nunc de magnitudine dicendum aliquid, sicuti de calore, paulo post erit agendum. Igitur dicamus.

Solem terra esse maiorem Optici facile se demonstrare posse confidunt, et eos secuti astronomi, ea demonstratione uti certissima utuntur. Aristarchus Samius, nescio, an primus, huius rei demonstrator, ait. Si sphaera lucida, atque illuminans, sit illuminatæ sphaeræ æqualis, ab hac in oppositam partem, proiicietur umbra columnaris in infinitum. Si illuminans sit minor, illuminata maior, tunc umbra proiicietur calathoides semper latior in infinitum. Si vero illuminans sit maior, tunc umbra semper angustior in progressu desinet in conum. At Sol, proculdubio sphaera lucida est, terram, opaca sphaera est. Terra a Sole illuminata, umbram noctu iacit, quæ in conum desinit. Ergo Sol, terram, est maior. In conum autem eam umbram